

patrum bene docet dicens hoc modo: *Sane, si quis pro admisso quolibet delicto veni cogitare.*¹⁾ Verum etiam magnum studium debet esse abbati de illo excommunicato, ne contingat ante mori quam reconcilietur, quia si ante, quod absit, mortuus fuerit, secundum canonicam auctoritatem pro eo sacrificium offerri non debet, sicut Leo papa in suis decretis loquitur dicens hoc modo capitulo vicesimo de communione privatis et ita defunctis:²⁾ *Horum causa Dei iudicio reservanda est, in cujus manu fuit, ut talium obitus usque ad communionis remedium differretur. Nos autem, quibus viventibus non communicavimus, mortuis communicare non possumus.* Et ideo dixi, ut magnum studium sit, quatenus, si cognoverit eum venire ad mortem, ante reconciliet eum, et corpus et sanguinem Domini nostri Jesu Christi illi tradere studeat, quia nullus peccator sine illo viatico de hoc corpore exire debet.

Cap. XXVIII.

DE HIS QUI SAEPIUS CORREPTI EMENDARE NOLUERINT.
*Saepe enim de tertio gradu dici potest. - Sequitur: Si quis frater frequenter correptus pro qualibet culpa, si etiam excommunicatus non emendaverit, acrior ei accedat correptio, i. e. ut verberum vindicta in eum procedat. Quod si nec ita correxerit aut forte, quod absit, in superbia elatus etiam defendere voluerit opera sua, tunc abbas faciat, sicut sapiens medicus. - Rectum ordinem tenuit S. Benedictus in eo quod superius dixit de excommunicatione levis vel majoris culpa, et dixit sollicitudinem, quam debet abbas circa delinquentes fratres habere, et nunc dixit de expulsionem, quia ille, qui tam diligenter excommunicatus est et non emendaverit, et tantam sollicitudinem habuerit factam, sicuti hic dicit, dignus est expulsionem. In hoc enim, quod dicit *frequenter*, intelligitur secreta admonitio et publica correptio. Sed hoc intuendum est, quia non debet abbas*

¹⁾ Cassian. de coenob. instit. lib. 2. c. 16.

²⁾ Epist. 167. ad Rustic. inquis. 8. (Migne, tom. 54. col. 1205.)